

In suis ad Alexandrum litteris, diei 2 septembris 1656, de supradieta Innocentii X constitutione mentem suam sic iterum aperiunt gallicani episcopi : « Eadem sane mentis alacritate illud (Breve) suscepimus, qua concilii Africani Patres ab ipsis expetitam Zozimi epistolam amplexi sunt, quæ Pelagii atque Cælestii errores, quos clanculum propagabant, peremptorio decreto prostravit... Finita est causa rescriptis apostolicis : utinam finiatur et error ! si licet verbis Augustini vota nostra concipere. » Cum idem Alexander VII Formularium subscribendum præcepisset, ad eum, anno 1660, inter alia scripserunt Galliarum episcopi : « Et quia in eo (monte Apostolico) Dominus docet, statuimus ibi, secundum verba Tertulliani, finem quærendi, stationem credendi, expunctionem inveniendi... In te autem, velut in Petri successore, nostrum omnium fortitudo firmata est. » In encyclicis litteris conventus cleri Gallicani 2 octobris 1663, referuntur verba Aviti Viennensis Hormisdæ Papæ scribentis, non tantum suam ecclesiam, sed cunctas Galliarum ecclesias firmissime velle eum sequi in omnibus quæ ei placeret circa fidem decernere, et additur fidem episcoporum invincibilem esse, et eorum auctoritatem infallibilem ex eorum unione infrangibili cum centro religionis, id est cum sede Petri, in his quæ tam dogma quam disciplinam respiciunt.

Consulto prætermisissis plurimorum scriptorum insignium testimoniis, tum brevitatis causa, tum quia privatorum tantum hominum sententiam exprimunt, acta solummodo et declarationes retulimus ex quibus vera doctrina Cleri Gallicani circa primatum Pontificis Romani agnoscitur, tam ante quam post concilium Constantiense, usque ad tempus celebri Declarationi anni 1682 contiguum. Plures quidem Petri de Alliaco et Joannis Gerson opinioni adhæserunt, quam Jansenistæ ferventissime amplexi sunt, quorum maximi intererat Sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, sed, amotis hæreticis, quorum suffragium huic doctrinæ notam falsitatis inurit, quorumdam virorum, numero pauciorum, etsi virtute et scientia aliunde spectabilium, dissensio nullo modo Ecclesiæ Gal-

licanæ unanimitati morali officit, quæ deinde obscurari potuit, non vero destrui.

4^o Nunc demonstrandum est Declarationem anni 1682 non a Clero Gallicano fuisse libere exaratam, tamquam doctrinam suam exprimentem, sed potestatem sæcularem eam extorsisse et per vim imposuisse, ut Pontificem Romanum pro juribus Ecclesiæ tuendis decertantem fatigaret et ab incepto deturbaret.

Ludovico XIV regnante, acriter agitata est in Gallia *regaliæ* quæstio.

Concilium generale Lugdunense II sanxerat regaliam, vi cujus, sede episcopali vacante, rex ejus reditus sibi attribuebat et beneficia directe conferebat, observari posse in diocesisibus in quibus ex titulo foundationis vel ex antiqua consuetudine vigeat, inhibueratque, sub gravissimis pœnis, ne ad alias dioceses extenderetur. Non obstante hac prohibitione, consiliariis suis id regi suadentibus, promulgatæ sunt annis 1673 et 1675 duæ declarationes regis quibus universæ Galliarum dioceses, non exceptis his quæ hujus servitutis erant immunes, regaliæ adstringebantur, hoc falso principio invocato, quod jus istud essentialiter regis potestati competeat, et ex ejus concessione et beneplacito tantum bonis temporalibus fruebantur ecclesiæ. Innocentius XI litteris suis in forma brevis ad regem expeditis hanc manifestam usurpationem ter liberrime condemnavit. Ut prærogativam quam titulo juris proprii regi tribuebant tuerentur, ministri, officiales et parlamentum, Ludovico XIV eis annuente, auctoritatem spiritualem Papæ debilitandam esse censuerunt. Quamvis adhuc tunc temporis, id est sub initio anni 1663, doctrinæ Romanæ de pontificia infallibilitate adhærent, paucis exceptis, facultatis Parisiensis doctores, cum hæc infallibilitas fuisset paulo ante aperte propugnata in collegio Patrum societatis Jesu, quod Claramontanum vocabatur, parlamento contra facultatem sæviente, syndicus persecutionem sedare tentavit, concinnando cum ministro Le Tellier declarationem quæ doctrinam articulorum anni 1682 continebat. Hujus lucubrationis textum a paucis cognitum hic inserere juvabit :

« Declarationes sacræ Facultatis theologiæ Parisiensis factæ apud regem super quibusdam propositionibus quas nonnulli voluerunt adscribere eidem Facultati: I. Non esse doctrinam Facultatis, quod summus Pontifex aliquam in temporalia regis christianissimi auctoritatem habeat. Imo semper Facultatem obstitisse etiam iis qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt. — II. Esse doctrinam Facultatis ejusdem, quod rex christianissimus nullum omnino agnoscit nec habet in temporalibus superiorem præter Deum, eamque suam esse antiquam doctrinam, a qua nunquam recessura est. — III. Doctrinam Facultatis esse, quod subditi fidem et obedientiam regi christianissimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu dispensari possint. — IV. Doctrinam facultatis esse, non probare nec unquam probasse propositiones ulla regis christianissimi auctoritati aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus et receptis in regno canonibus contrarias, verbi gratia, quod summus Pontifex possit deponere episcopos adversus eosdem canones. — V. Doctrinam Facultatis non esse quod summus Pontifex sit supra concilium œcumenicum. — VI. Non esse doctrinam vel dogma Facultatis, quod summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiæ consensu, sit infallibilis. »

Animadvertat lector formam negativam consulto fuisse usurpatam in articulis majoris momenti, ut affirmaretur tantum Facultatem non docere ea quæ auctoritati civili magis displicebant, abstinendo a sententia definitiva super his proferenda, ne eadem Facultas videretur a pristina et constanti sua doctrina formaliter recedere. Ambiguitas apparet præcipue in articulo sexto, ubi dicitur non doceri a Facultate quod Papa sit infallibilis *nullo* accedente consensu Ecclesiæ. Equidem hoc catholice interpretari potest, si intelligatur Ecclesiam, quæ est ipsa infallibilis passive, seu in credendo, in omni definitione circa fidem et mores necessario consentire Pontifici Romano ex cathedra docenti quod ipsa semper credit et professa est. Ideo conventus anni 1682, ut Papæ prærogativam infallibilitatis personalis non æquivoce abjudicaret, decrevit expresse « non irreformabile esse ejus iudicium, nisi consensus

Ecclesiæ accesserit, » id est, nisi ejus definitio, jam promulgata, consensu expresso vel tacito Ecclesiæ confirmata fuerit. Hoc animadvertitur a P. Rapin, in relatione discussionis ex qua orti sunt sex prædicti articuli, in quâ legitur syndicum Facultatis exclamasse res pessum ituras omnino, si infallibilitas funditus everteretur. Inter deputatos regios et doctores sorbonicos contendebatur, hinc ut auctoritas pontificia magis ac magis deprimeretur, illinc ut quantum ex adjunctis fieri poterat salvaretur.

Quamvis ministro regio Colbert sex propositiones prædictæ, propter formam negativam, suspectæ essent, parlamentum Parisiense statuit eas firmas habendas esse et in scholis doctrinam contrariam rejiciendam esse, quod edicto regio fuit sancitum, sub pœnis extraordinariis, die 4 augusti 1663. Attamen de articulis istis nunquam fuerat a Facultate deliberatum, nec ex ejus mandato regi fuerunt traditi. Ideo contra eos protestati sunt multi doctores et ipse syndicus qui, coactus a ministro regio, conciliabulo in quo concinnati sunt interfuerat et etiam præcipuas manus eorum confectioni attulerat. Constat insuper nunquam Facultatem de his deliberasse, et eos mendaciter ab archiepiscopo Parisiensi designato Harduin de Péréfixe et aliquibus tantum doctoribus regi oblatos fuisse nomine totius Facultatis, cui nefas esset eos per vim et metum extortos attribuire.

Luctamen contra Sanctæ Sedis auctoritatem inceptum non deserentes, parlamento rem urgente, regii officiales resistentiam Facultatis et cleri frangere conati sunt. Illorum imperio obsequens, anno 1664 Facultas censuris suis perstrinxit librum Jacobi Vernant et opusculum Amedæi Guimenei, in quibus aperte docebatur Pontificem Romanum infallibilem et superiorem conciliis esse, et ejus auctoritatem, utpote monarchicam, ad universalem Ecclesiam se extendere. Anno sequenti, per breve quod incipit *Cum ad aures*, Alexander VII has censuras damnavit « uti præsumptuosas, temerarias atque scandalosas. » Parlamentum breve pontificium audacter condemnavit et suppressit, decernendo quod censure in eo reprobatæ in

regestis suis insererentur. Ut vero doctrina a potestate civili imposita certius in Facultate prævaleret, ex mandato regii ministri sancitum fuerat duos dumtaxat e singulis religiosis ordinibus doctores ad Facultatis deliberationes fore admittendos. Erat autem doctorum regularium in hac Facultate numerus centum septuaginta trium, et hi omnes, exceptis duobus tantum aut tribus, infallibilitati pontificiæ cæterisque Romanæ doctrinæ capitibus firmissime adhærebant. Iisdem tyrannicis jussionibus obtemperans, conventus Cleri Gallicani, in comitiis ordinariis anni 1665, super eodem negotio deliberavit. Plures decretum Alexandri VII impugnaverunt. Non videtur tamen conclusionem ullam fuisse adoptatam. Ita paulatim potestas regia, ut Pontificis Romani auctoritatem magis ac magis deprimeret, famosæ Declarationi anni 1682 viam per fas et nefas sternebat.

Multis certisque documentis¹ constat comitia generalia hoc anno fuisse convocata ex mandato regis, ut in iis de pontificia potestate, seu potius contra hanc potestatem, expressius confirmaretur doctrina quam in regno suo ab omnibus acceptari et teneri decreverat. In litteris convocatoriis aperte nuntiabatur negotia in hoc conventu tractanda ad ordinem spirituales præcipue pertinere. Ut facilius resistentia frangeretur, si forte aliqui regiam voluntatem prætermittere vellent, statutum est, non sex deputatos, ut antea fieri solebat, sed duos tantum in unaquaque provincia ecclesiastica eligendos esse; deputandi ab ipso ministro Colbert fuerunt nominatim designati, et cum pluribus in locis quidam eidem ministro non grati fuissent cooptati, alios obsequentiores eis subrogandos esse præcepit. Insuper, ad majorem cautelam, a rege fuit declaratum deputatos secundi ordinis, id est non episcopali dignitate insignitos, voce decisiva, qua antea gaudebant, in sequentibus proximis comitiis non usuros.

1. Hæc documenta copiose reperiuntur apud Bouix, *De Papa*, part. II, et Car. Gérin, *Recherches historiques sur l'Assemblée de 1682*.

Ita peractis electionibus, et libertate electorum omnino perempta, ex centum et triginta Ecclesiæ Gallicanæ episcopis, triginta tantum et quatuor his comitiis adfuerunt, cum triginta et octo deputatis secundi ordinis, et nemo sanus contendet talem conventum, etiamsi libere constitutus fuisset, de doctrina judicandi et definiendi habuisse auctoritatem, quæ solis conciliis regulariter congregatis competit.

Ex hujus conventus deliberationibus orti sunt quatuor articuli celebris et infaustæ Declarationis, illustrissimo Bossuetio, Meldensi episcopo, prius renitente, deinde adversarios pertinaciores auctoritatis pontificiæ moderante, demum hos articulos ipso concinnante, ne cætus, nimio regi placendi studio, Pontificis Romani potestatem ultra omnem modum labefactaret. Cui unquam satis dolebit tantum virum non adeo constantem fuisse, ut invictè profligaret doctrinam tum certe erroneam, hodie vero inter hæretica dogmata recensendam?

Vix subscripta a deputatis Declaratione, parlamentum mandavit eam inserendam esse in registro Facultatis Parisiensis, quin liceret doctoribus eam examinare et de acceptance deliberare. Cum plures contra hanc tyrannicam jussionem reclamarent, exilio fuerunt affecti, procurator regius minacibus verbis inscriptionem obtinuit, et prohibitum est ne Facultas ultra ad solitas sessiones convocaretur, quia, ut idem procurator confessus est, doctores qui Declarationi subscripserant sententiam suam statim et libenter mutaturi videbantur, si hoc ipsis permitteretur. Tandem, die 23 martii 1682 edictum regium prodiiit, quo jussum est Declarationem ut firmam haberet ab omnibus teneri.

Supra dictum est Ludovicum XIV, instante Innocentio XII, testificatum fuisse quod nemo edictum hac de re datum observare teneretur. Attamen, etsi ab anno 1682 quamplurimi semper infallibilitatem pontificiam propugnauerint, paulatim, favente et etiam instante sæculari potestate, prævaluit contrarius error, qui tamquam doctrina gentilitia habebatur, quasi opinio doctrinæ Sanctæ

Sedis et universalis Ecclesiae opposita vera censenda sit, eo ipso quod autoritas civilis, magisterium quod autoritati spirituali divinitus et exclusive competit usurpans, eam ab omnibus docendam et tenendam decreverit.

Quod, potentia sua et suorum juristarum servilitate obæcatus, attentare non veritus fuerat Ludovicus XIV, iterare ausus est Napoleo, Reipublicae Gallicae primus consul, cum in *Articulis organicis* ab ipso solo contra fas et jus concordato cum Pio VII inito additis præcepit, art. 24, omnes in professores theologiae in seminariis cooptatos teneri Declarationi præfatæ subscribere, eamque docere. Non obstante hac lege a Sancta Sede pluries reprobata, doctrina genuina cepit invalescere, quibusdam præclaris scriptoribus jura Pontificis Romani vindicantibus, inter quos eminent Josephus de Maistre, qui in libris suis gallicae scriptis *De Papa et De Ecclesia Gallicana* primatum Romanum et signanter infallibilitatem pontificiam asseruit invictèque demonstravit. Cum vero doctrina Declarationis a synodo Vaticana fuit perempta et sub anathemate damnata, pauci inveniebantur in Gallia qui ei adhærent, et tota Ecclesia Gallicana gestiens definitiones sacri concilii acclamavit et ut fidem avitam sancientes amplexa est.

Ex prædictis sequitur, Romani Pontificis primatum ab antiquissimis temporibus fuisse ab Ecclesia Gallicana catholice intellectum. Si vero per centum annos, aliquot tantum additis, doctrina concilii Constantiensis, a potestate sæculari ob rationes politicas per vim imposita, prævalere visa est, nunquam unanimatè obtinuit, et cum hæc illustris Ecclesia, vinculis quibus premebatur paulatim laxatis, libere respirare cœpit, continuo ad majorum traditionem rediit.]

ARTICULUS X

De Romani Pontificis principatu civili.

[Sub duplici respectu fuit impugnatus principatus civilis Pontificis Romani, quoad factum scilicet et quantum ad jus.

Contra factum historicum debacchati sunt communiter Protestantes, inter quos præcipuum locum tenent Basnage, Mosheim, Sismondi, qui hujus principatus initium ab omni injustitiæ labe immune non esse contendunt, asserentes summos Pontifices variis rerum adjunctis fraudulenter usos fuisse ad potestatem suam temporalem creandam et ejus limites paulatim extendendos. Non defuerunt etiam inter catholicos qui, monumentis historicis non satis attendentes, his plus æquo consenserint.

Alii absolute hunc principatum improbaverunt, ut doctrinæ evangelicæ repugnantem et cum potestate spirituali natura sua incompatibilem. Tales fuerunt Wiclefus, a concilio Constantiensi damnatus, Calvinus et plerique Ecclesie catholice hostes, qui intelligentes hac potestate autoritatem Sanctæ Sedis fulciri, illam odiosam reddere conati sunt et Pontifices Romanos ut Evangelium evertentes insectati sunt. Quidam etiam de titulo catholicorum gloriantes huic sententiæ magis vel minus faverunt, allegantes ministerio spirituali implendo media spiritualia sufficere, illudque cura rerum temporalium impediri, quorum systema hac celebri formula continetur: « Ecclesia libera in Statu libero. »

Contra quos.

Dico 1º: Principatus civilis Pontificis Romani est factum legitimum.

Prob. 1º Legitime fuit constitutus. Neque vi neque fraude Pontifices principatum civilem obtinuerunt. Quomodo enim regiones illas sub ditione sua redigere potuissent, cum seipsos protegendi et incolumes servandi nullum

medium eis suppeteret? Non magis fraude hanc potestatem captarunt, quæ potius sponte a populis et principibus fuit eis oblata. Plures enim civitates a ducentis annis ab imperatoribus derelictæ et a Longobardis impugnatæ, Papæ auxilium implorarunt eique se dederunt. Si igitur populorum consensus, qui hodie venditatur ut via potior et etiam unica dominationem acquirendi, exigitur, hic titulus Pontificibus Romanis non defuit. Civium consensui imperatorum confirmatio et concessio expressa accesserunt. Pippinus summo Pontifici exarchatus Ravennensis dominium tradidit, et hanc donationem confirmavit, aliis possessionibus additis, Carolus Magnus, cui consensere Ludovicus Pius ejusque successores. Demum comitissa Mathildis proprium territorium Sanctæ Sedi actu solemniter reliquit.

2º Legitima præscriptione fuit firmatus. A temporibus Pippini et Caroli Magni mille anni et amplius numerantur, et si summi Pontifices pluries fuerunt suis possessionibus deturbati a principibus quorum vitia redarguere et excessus reprimere debuerunt, ab ævo Caroli V imperatoris et Francisci I, Galliarum regis, id est a tribus sæculis, principatum suum pacifice exercuerunt. Porro, omnibus fatentibus, tantum temporis spatium ad legitimam præscriptionem amplissime sufficit. Et hoc jure publico fuit sancitum; etenim nullum fere pactum pacis inter principes fuit initum, in quo Sanctæ Sedi temporalis potestas non fuerit recognita et sub tutela communi posita, ut factum est præcipue et solemniter in congressu Viennæ in Austria habito anno 1815, in quo plurium regnorum Europæ limites fuerunt mutati et determinati.

3º Ejus legitimitas ex effectibus etiam temporalibus demonstratur. Audiamus Leonem XIII hoc argumentum dilucide et eloquenter exponentem in Encyclica *Inscrutabili*, occasione assumptionis suæ ad summum pontificatum promulgatæ :

« Quid autem, si Romani Pontificis opera spectantur, iniquius esse potest, quam inficiari quantopere Romani Antistites de universa civili societate et quam egregie sint

meriti? Profecto decessores nostri, ut populorum bono prospicerent, omnis generis certamina suscipere, graves exantlare labores, seque asperis difficultatibus objicere nunquam dubitarunt, et defixis in cælo oculis, neque improborum minis submisere frontem, neque blanditiis aut pollicitationibus se ab officio abduci degeneri assensu passi sunt. Fuit hæc Apostolica Sedes quæ dilapsæ societatis veteris reliquias collegit et coagmentavit; hæc eadem fax amica fuit qua humanitas christianorum temporum effulsit; fuit hæc salutis anchora inter sævissimas tempestates quæ humana progenies jaetata est; sacrum fuit concordia vinculum quod nationes dissitas moribusque diversas inter se consociavit; centrum denique commune fuit unde, cum fidei et religionis doctrina, tum pacis et rerum gerendarum auspicia ac consilia petebantur. Quid multa? Pontificum Maximorum laus est, quod constantissime se pro muro et propugnaculo objecerint, ne humana societas in superstitionem et barbariem antiquam relaberetur.

» Utinam autem salutaris hæc autoritas neglecta nunquam esset vel repudiata! Profecto neque civilis principatus augustum et sacrum illud amisisset decus quod a religione inditum præ se ferebat, quodque unum parendi conditionem homine dignam nobilemque efficit; neque exarsissent tot seditiones et bella, quæ calamitatibus et cædibus terram funestarunt; neque regna olim florentissima, e prosperitatis culmine dejecta, omnium æumnarum pondere premerentur. Cujus rei exemplo etiam sunt orientales populi, qui, abruptis suavissimis vinculis quibus cum Apostolica hac Sede jungebantur, primævæ nobilitatis splendorem, scientiarum et artium laudem, atque imperii sui dignitatem amiserunt.

» Præclara autem beneficia quæ in quamlibet terræ plagam ab Apostolica Sede profecta esse illustria omnium temporum monumenta declarant, potissimum persensit Italia hæc regio, quæ quanto eidem propinquior loci natura exstitit, tanto uberiores fructus ab ea percepit. Romanis certe Pontificibus Italia acceptam referre debet solidam

gloriam et amplitudinem qua reliquas inter gentes emittit. Ipsorum auctoritas paternumque studium non semel eam ab hostium impetu texit, eidemque levamen et opem attulit, ut catholica fides nullo non tempore in Italorum cordibus integra custodiretur.

» Hujusmodi prædecessorum nostrorum merita, ut cætera prætereamus, maxime testatur memoria temporum S. Leonis Magni, Alexandri III, Innocentii III, S. Pii V, Leonis X, aliorumque Pontificum, quorum opera vel auspiciis ab extremo excidio, quod a barbaris impendebat, Italia sospes evasit, incorruptam retinuit antiquam fidem, atque inter tenebras squaloremque rudioris ævi scientiarum lumen et splendorem artium aluit, vigentemque servavit. Testatur nostra hæc alma Urbs, Pontificum sedes, quæ hunc ex iis fructum maximum cepit, ut non solum arx fidei munitissima esset, sed etiam bonarum artium asylum et domicilium sapientiæ effecta, totius orbis erga se admirationem et observantiam conciliaret. Cum harum rerum amplitudo ad æternam memoriam monumentis historiæ sit tradita, facili negotio intelligitur non potuisse nisi per hostilem voluntatem indignamque calumniam, ad hominum deceptionem, voce ac litteris obrudi, hanc Apostolicam Sedem civili populorum cultui et Italiæ felicitati impedimento esse.

» Si igitur spes omnes Italiæ orbisque universi in ea vi communi utilitati et bono saluberrima, qua Sedis Apostolicæ pollet auctoritas, et in ætissimo nexu sunt positæ, qui omnes Christi fideles cum Romano Pontifice devinciat, nihil nobis potius esse debere cognoscimus, quam ut Romanæ Cathedræ suam dignitatem sartam tectamque servemus, et membrorum cum capite, filiorum cum patre conjunctionem magis magisque servemus. »

Confirmatur hoc peremptorio argumento. Admitti non potest, factum illegitimum in Ecclesia Christi perpetuari et ab ea ut legitimum, non tantum tolerari, sed etiam constanter vindicari; quia hanc legitimitatem affirmando et doctrinam oppositam reprobando, Ecclesia erraret et falsum doceret. Atqui nemo catholicus ita sentiet. Ergo.

Dico 2^o: Principatus civilis Pontificis Romani est necessarius.

Hæc necessitas non absolute, sed conditionate et hypothetice intelligitur. Etenim, si Christo placuisset primatui Vicarii sui principatum civilem tamquam quid essentielle adnectere, Petrus ipse debuisset illum obtinere et exercere. Porro per priora sæcula Pontifices Romani illo erant destituti, quin imo non alia purpura fuerunt decorati quam proprii sanguinis, per martyrium, et non ceperunt tali potestate gaudere, nisi cum mira Evangelii propagatione principes sæculares ipsi cum suis populis facti sunt christiani, et necesse fuit supremum omnium ducem et pastorem eis nullo modo subjici, ut erga eos officium suum libere posset implere.

Prob. necessitas hujus principatus ex natura officii a Christo suo Vicario commissi. Etenim

Ut Pontificis Romani primatus efficaciori modo exerceri possit, requiritur necessario Papam omnimoda libertate gaudere. Atqui principatus civilis est hujus perfectæ libertatis conditio. Ergo hic principatus est necessarius.

Prob. min. declaratione solemnī facta a Pio IX potestate sua civili exturbato, in consistorio Cajetæ habito die 28 aprilis 1849 :

« Officii nostri, inquiebat, ratio postulat ut, in civili Apostolicæ Sedis principatu tuendo, jura possessionesque sanctæ Romanæ Ecclesiæ atque ejusdem Sedis libertatem, quæ cum totius Ecclesiæ libertate et utilitate est conjuncta, totis viribus defendamus. Et quidem homines qui, commemorato plaudentes decreto (spoliationis), tam falsa et absurda affirmant, vel ignorant vel ignorare simulant, singulari prorsus divinæ providentiæ consilio factum esse ut, Romano imperio in plura regna variasque nationes diviso, Romanus Pontifex, cui a Christo Domino totius Ecclesiæ regimen et cura fuit commissa, civilem principatum hæc sane de causa haberet, ut ad ipsam Ecclesiam regendam ejusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quæ ad supremi apostolici ministerii munus

obeundum requiritur. Namque omnibus compertum est, fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam præstitura esse Romano Pontifici, si illum alicujus principis vel gubernii dominio subjectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex sua acta ad illius principis vel gubernii in ejus ditione versaretur voluntatem conformaret, atque ideo actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis principatus Apostolicæ Sedis qui nunc Romæ dominantur, quam fiducia et observantia ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones Summi Pontificis, cum illum cujusvis principis aut gubernii imperio subditum esse cognoscerent, præsertim vero si cui subessent principi, inter quem et Romanam ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum. » Ex his invictè demonstratur necessitas supra asserta.

Idem Pontifex, in Encyclica diei 18 junii 1859, decretorie eandem necessitatem affirmat, dicens : « Necessarium esse palam edicimus huic Sedi civilem principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit. » Pluries postea in diversis allocutionibus contra territorii pontificalis invasores protestatus est, eos censuris ecclesiasticis innodatos declarans.

Leo XIII, statim atque ad summi pontificatus dignitatem evectus fuit, non omisit has protestationes et reclamationes renovare, in memorata Encyclica *Inscrutabili* : « Ut in primis, inquit, eo quo possumus modo, jura libertatemque hujus Sanctæ Sedis adseramus contendere nunquam desinemus, ut authoritati nostræ suum constet obsequium, ut obstacula amoveantur quæ plenam ministerii nostri potestatisque libertatem impediunt, atque in eam rerum conditionem restituamur, in qua divinæ sapientiæ consilium Romanos Antistites jampridem collocaverat. Ad hanc vero restitutionem postulandam movemur, non ambitionis studio aut dominationis cupiditate, sed officii nostri ratione et religionis jurisjurandi vinculis quibus

obstringimur, ac præterea non solum ex eo quod principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius, sed etiam, quod exploratissimum est, cum de temporali principatu Sedis Apostolicæ agitur, publici etiam boni et salutis totius humanæ societatis causam agitari. Hinc prætermittere non possumus quin, pro officii nostri munere, quo sanctæ Ecclesiæ jura tueri tenemur, declarationes et protestationes omnes quas sa. me. Pius IX, decessor noster, tum adversus violationem jurium ad Romanam Ecclesiam pertinentium pluries edidit ac iteravit, easdem et nos hisce nostris litteris omnino renovemus et confirmemus. » Et hanc declarationem ipse Leo XIII deinde, datis opportunitatibus, non semel iteravit.

Igitur nemini catholico licet his declarationibus contradicere, nec sentire principatum civilem Ecclesiæ Romanæ, præteritis quidem temporibus fuisse utilem, sed hodiernis moribus et juri novo non jam congruere. Nam in *Syllabo*, ex mandato Pii IX, inter propositiones damnatas fuerunt insertæ duæ sequentes : LXXV. « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii. » Quæ propositio reprobatur in eo sensu intellecta, quod catholicis fas sit utramlibet sententiam tuta conscientia amplecti. — LXXVI. « Abrogatio civilis imperii quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. » Unde constit. *Apostolicæ Sedis*, diei 12 octobris 1869, excommunicatione latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservata plectuntur « invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes. » Hæc censura renovatur ex bulla *Cænæ*, § 20.

Hæc confirmant declarationes plurimorum conciliorum provincialium posterioribus his temporibus congregatorum, quorum plura hæc Bossuetii verba invocarunt :

« Vobis omnibus precamur sacrum principatum omnibus modis salvum et incolumem esse. » Præcipue notari debent concilia provinciarum Turonensis, Remensis, Rothomagensis, Tolosanæ, Albiensis, Bituricensis. Concilium IV provinciæ Burdigalensis Pictavi celebratum, anno 1839, declarationi Pii IX supra relatæ fortiter adhæsit et ejus decretum ab eodem Pontifice amplissime fuit approbatum et laudatum.

Ex quibus omnibus sequitur, principatum civilem divinæ providentiæ ordinatione statutum Romano Pontifici sensu suprascripto esse necessarium.

Confirmatur propositio hoc facto, quod, cum territorium pontificium vi et armis fuit ditioni legitimæ subtractum, catholicis nationibus, et etiam quibusdam heterodoxis, plenam libertatem Pontifici Romano in suo ministerio implendo vindicantibus, usurpator protestationes undique exsurgentes compescere conatus est, obtinendo a legislativa potestate legem quam securitatis dixerunt, qua sancitum est Pontifici regales honores deferendos esse, ejusque libertati tuendæ gubernium novum invigilaturum esse. Quomodo fuerit impleta, seu potius spreta hæc obligatio, omnes norunt; sed ex hoc facto deducitur communiter agnitam fuisse necessitatem plenæ libertatis et independentiæ summi Pontificis. Porro nunquam erit a quavis sæculari potestate omnimode independens, nisi principatus civilis omnibus regibus et principibus fecerit eum æqualem. Ergo.]

DISSERTATIO VI

DE CONCILIIIS GENERALIBUS

ARTICULUS I

Quid et quotuplex sit concilium?

[Conciliis nomine idem significatur in Ecclesia quod nomine comitiorum in regno. Quemadmodum enim, cum oritur controversia de rebus bonum reipublicæ spectantibus, conveniunt in unum principes regni vel magistratus, aut deputati a populo electi, ut statuatur quid facto opus sit; ita, cum dirimenda est controversia aliqua suborta in Ecclesia de rebus spectantibus ad religionem, conveniunt præsules ecclesiarum particularium, et simul collatis sententiis, statuunt quod bonum videtur. Ita actum videmus ab Apostolis, *Act.*, xv, ubi cœperunt concilia christiana celebrari, ac deinceps singulis ætatibus.

Nomen latinum *concilii* invenitur passim in Testamento veteri et novo, pro congregationibus Judæorum, sed nomen græcum, id est *σύνοδος*, non reperitur in Scripturis; ubi enim latine legimus concilium, in græco textu ubique est *συνέδριον* vel *συναγωγή*. Apparet autem primum synodi nomen in canonibus Apostolorum, can. 36, ubi jubentur episcopi singulis annis bis concilia celebrare; deinde legitur apud Eusebium, lib. V *Hist.*, c. 23, ac deinceps in omnibus authoribus.

Potest definiri concilium: « Congregatio personarum ecclesiasticarum, præsertim episcoporum, legitima auctoritate convocata, ad statuendum quæ spectant religionem moresque Christianorum. »

Usus conciliorum habemus, ut dictum est, ab Apostolis, estque probabile eorum institutionem esse divinam, tum ex eo quod dicitur, *Matth.*, xviii, 20: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; tum